

cupiditatem, non argenti acervos, non vitiorum simulacra; ne auferat tibi vocem libertatis. Vox enim libertatis illa est, ut dicas: Veniet hujus mundi princeps, et in me inveniet nihil¹⁾. Itaque si securus es, quod nihil in te inveniat, cum venerit perscrutari, dices illud, quod dixit ad Laban Jacob patriarcha²⁾: Cognosce si quid tuorum apud me est. Merito beatus Jacob, apud quem nihil Laban suum potuit reperire! Absconderat enim Rachel simulacra deorum ejus aurea et argentea. Itaque si sapientia, si fides, si contemptus saeculi, si gratia tua abscondat omnem perfidiam, beatus eris, quia non respicis in vanitates et insanias falsas³⁾. An mediocre est tollere vocem adversario, ut arguendi te non possit habere auctoritatem? Itaque qui non respicit in vanitates, non conturbatur; qui enim respicit, conturbatur, et vanissime quidem. Quid est enim congregare opes, nisi vanum? quia caduca quaerere, vanum est satis. Cum autem congregaveris, qui scias, an possidere liceat tibi? Nonne vanum est, ut mercator noctibus ac diebus conficiat iter, quo aggregare possit thesauri acervos, merces congerat, conturbetur ad pretium, ne forte minoris vendat quam emerit, aucupetur locorum pretia, et subito aut latrones in se invidia famosae negotiationis excitet, aut non expectatis serenioribus flatibus, dum lucrum quaerit, naufragium impatiens morae incidat? Annon conturbatur etiam ille vane, qui summo labore coacervat, quod nesciat, cui haeredi relinquat? Saepe quod avarus summa congesserit sollicitudine, praecipiti effusione dilacerat haeres luxuriosus: et diu quaesita, turpis helluo, praesentium caecus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine. Saepe etiam speratus successor invidiam partae acquirit haereditatis, et celeri obitu extraneis aditae successionis transcribit compendia. Quid ergo vane araneam texit, quae inanis et sine fructu est: et tan-

1) Joan. 14 2) Gen. 31. 3) Ps. 39.